

PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXXIII.
AD PRIDIE KAL. QVINTILES A. MDCCCXXIV.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

PRAEMITTVNTVR G. E. GRODDECKII

ADDITAMENTA AD DISPVTATIONEM SVAM DE ARGONAVTICORVM
APOLLONII RHODII FONTIBVS.

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

Clarissimo Lelewello, collegae coniunctissimo,
Groddeck


BIBLIOTHECA
UNIV.
IAGELL.
CRACOVIENSIS


Biblioteka Jagiellońska
1002355674

ADDITAMENTA AD DISPVTATIONEM DE ARGONAVTICORVM APOLLONII RHODII FONTIBVS.

Qvae iuvenis quondam de Apollonii carmine eiusque fontibus commentatus eram *a)*, sed, subinde a dulci Musarum contubernio, in quo tunc versabar, procul avocatus, vix inchoata reliqui, si iam, post septem amplius condita lustra, sive corrigere et retractare, sive persequi et conficere vellem: *Penelopes*, quod dicunt, *telam retexerem*, praesertim ex quo relictam provinciam non suscepit tantum, sed egregie tuitus est vir doctissimus, *Augustus Weichert b)*. Interim liceat mihi, olim disputatis, quasi per saturam, addere nonnulla, tum comparationi poëtae Alexandrini cum antiquiorum ingenio, tum aetati et operibus scriptorum, quae a doctis Apollonii commentatoribus Graecis citantur, subtilius definiendis, fortasse idonea. E multis autem scriptoribus, de quibus dicendum esset, in praesens quinque delegi, de quibus paullo accuratius agerem, inque his duo poëtas, *Cinaethonem* et *Pindarum*, et tres historicos, *Acusilaum*, *Hecataeum Milesium*, *Hellanicum*.

Cinaetho quidem Lacedaemonius, vetus poëta cyclicus *c)*, cuius *Genealogiae* Pausaniae etiam temporibus exstitisse videntur *d)*, ante Panyasin et Pisandrum *Heracleam* condidit, i. e.

a) In *Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst*, Göttingae 1787 T. II. p. 61—113.

b) Edito libro: *Ueber das Leben u. Gedicht des Apollonius von Rhodus.* Miseni 1821. 437 pagg. 8. Cuius libri paene tertia pars, inde a pag. 133. usque ad p. 268. in fontibus poëtae Alexandrini recensendis occupatur.

c) *Tertia Olympiade* vixisse traditur Hieronymo in Chron. Eusebiano. — *Lacedaemonium* fuisse, e Pausania discimus II. 3. T. I. p. 190 ed. Fac.

d) Pausan. IV. 2. T. I. p. 457 Fac. *Πύθεσθαι δέ που δὴ πάνυ ἐθελήσας, οἵτινες παῖδες Πολυκάονι ἐγένοντο ἐκ Μεσσήνης, ἐπελεξάμην τάς τε Ἠοίας καλουμένας, καὶ τὰ ἔπη τὰ Ναυπάκτια, πρὸς δὲ αὐτοῖς ὁπόσα Κιναίθων καὶ Ἄσιος ἐγενεαλόγησεν.* Ex quo loco palam fit, *ἔπη Cinaethonis* eiusdem cum *Eoeis*, Hesiodi nomen prae se ferentibus, cum *Naupactiis*, et *Asii*, poëtae vetutissimi, *Genealogiis* argumenti fuisse. Heroës enim natos e congressu deorum cum feminis mortalibus enarrabant. Cf. *Heynium* in Indice scriptorum ab Apollodoro in Bibliotheca laudatorum, Observationibus ad Apollod. subiecto, p. 353. et 358 sq. Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst T. II. p. 81. et 90. De *Asii Samii Genealogiis* vide *Naekium* ad Choerili Fragm. p. 64. et 75 sqq. — Eiusdem carminis

carmen de Herculis mythis, cuius auctoritate Apollonium Rhodium, fortasse inter alia plura, etiam hoc narrasse tradunt Scholia ad lib. I. vs. 1357., *Cianos*, (*Cii* urbis in Mysia incolas) Herculi de Hylae raptu graviter irato adolescentes nobilissimos dedisse obsides, iureiurando interposito, se a puero investigando numquam destituros: eosque obsides ab Hercule Trachina in Thessaliam deductos esse.

Eiusdem poëtae duo alia carmina epica novimus, alterum *Oedipodia* inscriptum, cuius notitiam debemus tabulae marmoreae musei Borgiani, quam docte illustravit *Heerenius e)*; alterum, *Telegonia*, sive carmen de Ulyssis interitu, a *Telegoni*, ex Circe filii, manu temere allato; cuius carminis auctor Cinaetho perhibetur in Chronico Eusebiano *f)*, quamquam idem Chronicon, alio loco, ad Olymp. LIII., et *Proclus* in Chrestomathia *g)* eiusdem indicis poëma *Eugammoni* cuidam *Cyrenaeo* tribuunt. Quae forsitan causa fuit, cur viri docti, nominatim *Meursius h)* atque *Heerenius i)*, Chronici Euseb. locum prius excitatum, ad Olymp. III., mendosum, et pro *Telegonia* aut *Genealogiam*, aut, quod corruptelae causam facilius proderet, *Theogoniam* legendum esse arbitrarentur *l)*. At veterum scriptorum nemo, quod sciam, Cinaethonem *Theogoniam* condidisse tradidit. Secus quidem visum est *Gyraldo*, qui in Dialogo III de poëtarum historia p. 120. „Post Arctinum, ait, fuit *Cyneton* (scr. Cinaetho) poëta Lacedaemonius, qui *theogoniam carmine conscripsit*, post Hesiodum, ut auctor est Pausanias in Corinthiacis;" et *Heerenius* loco laud. p. 58. sententiam suam sic positam: „*Pausaniae locis his excussis dubitari nequit, quin Cinaethonis istae Genealogiae opus reputari debeant haud diversum a Theogonia quae ab aliis ei tribuitur*;" Gyraldi testimonio in margine allato confirmare voluisse videtur. At Pausanias non magis in

Cinaethonis alibi etiam meminit Pausanias, ut VIII. 53. T. II. p. 513. *Κιναίθων δὲ ἐν τοῖς ἔπεσιν ἐποίησεν κ. τ. λ.* II. 18. T. I. p. 244. *Τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν.* Denique II. 3. T. I. p. 190. quo loco quum de liberis e Medeae et Iasonis connubio prognatis agens, Cinaethonis etiam in Genealogiis testimonium profert, his verbis: *Κιναίθων δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος (ἐγενεαλόγησε γὰρ καὶ οὗτος ἔπεσι) Μῆδον καὶ θυγατέρα Ἐριῶπιν Ἰάσονος εἶπεν ἐκ Μηδείας γενέσθαι*: probabilitate non omnino careret coniectura, Argonautarum fabulam, ut Eoearum et Naupactiorum, ita Cinaethonis *ἐπῶν* partem quamdam secundariam (*episodium*) haberi posse. De *Genealogiis* autem Cinaethonis, tamquam vero carminis huius, a Pausania toties laudati, indice, nequaquam dubitandum erat *Weicherto* l. l. p. 239. quae quum epico versu compositae fuerint, simpliciter etiam *τὰ ἔπη* a Pausania dici poterant, pariter atque Homeri carmina, Ilias et Odyssea, simili de causa *τὰ ἔπη Ὁμήρου* dici possunt, et saepe dicuntur.

e) In Bibl. d. alt. Litt. u. K. T. IV. p. 43 sqq. maxime p. 57 sqq. ad Marmoris verba *Τὴν Οἰδιποδείαν τὴν ὑπὸ Κιναιθῶνος τοῦ . . . .*

f) Ad Olymp. III. Cinaethon Lacedaemonius poëta, qui *Telegoniam* scripsit, agnoscitur.

g) Vide Bibl. d. alt. Litt. u. K. *Inedita* T. I. p. 42.

h) In Miscell. Lacon. IV. 17.

i) Loco laud. p. 58 sq.

l) Cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 585 not. ed. Harles.

Corinthiacis quam usquam alibi de Theogonia Cinaethonis loquitur; sed, ubi poëtae huius meminit, aut generatim dicit: ἔγραψεν vel ἐποίησεν ἐν τοῖς ἔπεσιν (II. 18. VIII. 53), aut magis definite ἐγενεαλόγησε (II. 3. p. 190. IV. 2. p. 457.). Praeter Pausaniam autem, qua alia auctoritate opinio ista defendi queat, me fugere iam ante professus sum. Satius igitur videbitur, bona tantisper venia expetere, ut priscus bonusque Cinaetho, salvo iure Eugammonis, de possessione *Telegoniae suae* ne disturbetur.

Argonautarum fabulam, rerum atque eventorum mirabilium ditissimam, a lyricorum Graecorum principe haud neglectam fuisse quis miretur? Cuius sollers ingenium ad lyrici spiritus impetum, et epici carminis simplicitatem gressumque sedatiorem pariter valuisse, nullum certius et luculentius argumentum afferri potest, quam *Pythiorum* Pindari *quartum* carmen, victoriae quidem curuli Arcesilai Cyrenaeorum regis inscriptum, sed cuius maxima pars in Argonautarum expeditione enarranda versatur. Pindarum igitur quin ante oculos habuerit Apollonius, nulla est dubitatio, adhibito praesertim testimonio Scholiorum, quae quater, ad Argonauticorum lib. II. 498. *m)*, IV. 259. *n)*, 1552. *o)* et 1750. *p)*, diserte laudant *Pythia* carmina (ἐν Πυθιονίκαις), et penultimo quidem loco, ad IV. 1552., magis definite, ἐν τῇ εἰς Ἀρκεσίλαον ᾠδῇ. Ad idem hoc carmen referas oportet, quae a Scholiasta notantur ad lib. IV. 1562. *q)* et 1750. *r)*, ubi de *gleba* divina, ab *Euphemo* accepta, agitur, quae postea maris fluctibus submersa diffluxisse dicitur. Sed cunctis fere in locis his discordat, certe partibus quibusdam, utriusque poëtae narratio. Apollonius enim glebam divinam, quam, Pindarum secutus, Euphemo acceptam refert, huius sponte, nec inscio Iasone, prope Theram insulam in mare proiectam tradit (lib. IV. vs. 1750) *s)*; contra Pindarus sociorum navalium incuria eam e navi delapsam, et fluctibus submersam esse narrat Pyth. IV. 67 sqq. (38 Böckh.)

Πεύθομαι δ' αὐτὰν κατακλυσθεῖσαν ἐκ δούρατος
ἐναλίου βᾶμεν σὺν ἅλμᾳ,
ἑσπέρας ὑγρῷ πελάγει σπομέναν.

Apud utrumque Argonautae e Colchide redeuntes, sed *diverso itinere t)* in Libyam delati, ratem fatidicam per tesqua deserta

m) De Cyrene, Hypsei filia; coll. Pind. Pyth. IX. 6—129.

n) De reditu Argonautarum; coll. Pind. Pyth. IV. 44—48. et 447.

o) *Tritonis* Dei adventus vel ἐπιφάνεια; coll. Pind. P. IV. 37. 49 sqq.

p) De Euphemo eiusque progenie Aristotele sive Batto; coll. Pind. Pyth. IV. 67. 79 sqq. V. 117.

q) Collato Pindaro P. IV. 63—66. 35—40.

r) Collato Pindaro, l. l. 67 sqq.

s) Schol. Apoll. Rh. loco cit. *Πίνδαρος μὲν τακῆναι φησὶ τὴν βῶλον, καὶ περὶ τὴν νῦν καλουμένην Θήραν νῆσον διαῤῥυῆναι, ἐπιλαθομένων τῶν θεραπόντων· ὁ δὲ Ἀπολλώνιος ἑκουσίως φησὶ τὸν Εὔφημον ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν βῶλον βαλεῖν, συμβουλίᾳ Ἰάσονος.*

t) Vide Schol. Apollonii Rhod. IV. 259. Cf. Heynii Obss. ad Apollod. p. 82 sqq.

et arenosa in paludem Tritonidem humeris portant *u)*. Uterque eo loco Deum, Eurypyli herois, Neptuniae prolis, specie indutum, apparuisse fingit, sed epico poëtae *Tritonis* dei nomen diserte traditur, lyrico reticetur, adhibitis non nisi vocibus θεός et δαίμων *x)*. Magis etiam differunt in *Cyrenes* nymphae fabula *y)*. Nam *Apollonio* auctore virgo, quum oves ad Penei, Haemoniae sive Thessaliae fluminis, ripam pascit, ab Apolline rapta, ad Libyae nymphas procul abducitur, ubi editum partu *Aristaeum*, quem Agreum et Nomium vocant Haemonii, Chironi educandum tradit Apollo, Cyrenen suam Nymphae Libycae agrestis impertito honore et vita longaeva remunerans. Apud *Pindarum* autem, qui in mytho hoc tam copiose enarrando quam suaviter ornando audacius exsultat, Cyrenen *venatricem* in Pelionis iugis forte offendit Apollo, *solam sine armis cum leone depugnantem*. Quo inopinato adspectu obstupescens deus, Chironis, ex antro suo acciti, tum sermone de futuris puellae, cuius iam ardebat amore, fatis edoctus, tum hortatu magis accensus, continuo raptam, aureo curru secum in Libyam transvehit. Aristaeum vero recens natum Mercurius ad Horas portat, quae divinum dignumque tanta cura infantem, gremio suo impositum, ambrosiae et nectaris alimento deum reddunt immortalem *z)*.

Veniamus ad historicos. Constat enim, antiquissimorum temporum μυθολογούμενα, epicorum et cyclicorum poëtarum carminibus diu celebrata, postquam, scriptoriae artis ad iustos libros conficiendos usu in Ionia maturius, in Graecia circa Solonis demum tempora magis invalescente, *prosae* etiam orationis prima tentamina facta erant, a Logographis vetustissimis excepta, et in operum historicorum suorum plurima parte exposita fuisse. Ita accidit, ut, veterum illorum carminum nonnullis fortasse deperditis, aliis minus frequentatis *a)*, historiarum antiquissimarum libri isti, maiorem quippe mythorum numerum, eosque tempo-

u) Pind. Pyth. IV. 44—48. coll. Apoll. Rh. IV. 1552.

x) Pind. Pyth. IV. 37. 49 sqq. coll. Ap. Rh. IV. 1552.

y) Pind. Pyth. IX. 6—129. coll. Ap. Rh. II. 500 sqq.

z) Praeter loca haec, cum Argonautarum fabula magis minusve coniuncta, Pindarum, Scholiasta auctore, etiam sequitur Apollonius in fabula de *Caenei* Thessali nece mirabili, a Centauris allata lib. I. 57 sqq. *ὁ δὲ Ἀπολλώνιος παρὰ Πινδάρου εἴληφε λέγοντος κ. τ. λ.* Cf. *Schneiderum* in Fragmentis Pindari incertis p. 146 ed. Heyn. II. — *Hermanni* Handbuch der Mythologie T. II. p. 348. — Porro *de Aesonide* urbe Magnesiae, a Iasonis patre, Aesone, denominata, lib. I. 411. — *De Alcyone* lib. I. 1086. *εἴληφε (Ἀπολλώνιος) δὲ τὰ περὶ τῶν Ἀλκυόνων παρὰ Πινδάρου ἐκ Παιάνων.* et 1087. *εὐλόγως δὲ ὄσσαν εἶπε τὴν ἀλκυόνος φωνήν. Ὑπὸ γὰρ Ἥρας ἦν ἀπεσταλμένη, ὥς φησι Πίνδαρος.* Ubi *Paeanas* itidem respexisse Scholiastam, e Scholio praegresso patet, monente etiam *Schneidero* ad Pindari Fragm. p. 58. ed. Heynii. — Per occasionem, sive, ut cum Augusto loquar (Charis. II. p. 229.), *per viam* Pindari mentionem faciunt Scholia ad Argon. I. 752. *de Oenomao*, coll. Pind. Olymp. I. 127. — ad lib. I. 1289. de amicitia inter Herculem et Telamonem, cuius in Epiniciis suis frequenter meminit Pindarus, ut Nem. III. 61 sqq. IV. 40 sqq. Isthm. VI. 45 sqq. ubi de Alcyonei Gigantis nece. Cf. Apollodorum III. 12. 7. Schol. ad Lycophron. 455 et 1327. — ad lib. II. 477. de Hamadryade.

a) Cf. Creuzerum in Hist. Kunst d. Griechen p. 32.

rum quodam ordine et serie dispositos continentes, mythici rerum Graecarum cycli novi fontes exsisterent, quibus posteri poëtae aeque libenter uterentur, atque primaevis illis carminibus, diu memoriter traditis, nec nisi voce posteritati propagatis. Tantum igitur abest, ut qui in doctis Apollonii Rhodii commentariis tam crebro laudantur scriptores historici et geographici, sive rerum ab Apollonio narratarum auctores, sive eadem tradentes aut diversa, eos ab eruditis Grammaticis non nisi doctrinae suae ostentandae causa citari credamus, ut, officii et indolis poëtarum Alexandriae florentium bene memores, Apollonium scriptorum illorum magnam partem in *multis* quae notarunt interpretes Graeci locis *b)*, utique respexisse, ex iisque, tamquam fontibus, prata sua irrigasse; quin etiam, ubi in diversarum mythi alicuius tradendi rationum delectu suum poëtae iudicium adhibendum erat, non modo auctorem, quem ipse secutus sit, sed ceteros etiam ab illo dissidentes bene cognitos habuisse, contendere non dubitemus.

Iam inter historicos hos primo loco ponendi sunt tres antiquissimi, Acusilaus Argivus, Hecataeus Milesius, Hellanicus Mytilenaeus, qui, post *Cadmum Milesium c)*, primi Logographi soluta usi oratione a posteris scriptoribus nominantur. De triumviris his autem quae Vossius *d)*, Salmasius *e)*, Ionsius *f)*, Valesius *g)*, Meursius *h)*, aliique plures nostra aetate iamdudum diligenter collegerunt, hoc loco repetere velle, vix operae pretium esset. Satis habui quum enotare, quae ad Apollonii carmen, Scholiasta praeeunte, propius pertinere visa sunt, tum dubitationes quasdam afferre, quae quaerenti mihi sponte subortae sunt, quaeque passim coniecturis ansam dedere, doctiorum iudicio vel confirmandis, vel removendis.

Aetas logographorum, quos dixi, ne Cadmi Milesii illa quidem excepta, communiter ita definitur, ut paullo ante, et inter prima

b) De omnibus enim id affirmare velle, cui in mentem veniat? Res ipsa do-
cet, multa Grammaticis observata cum carminis, quod explicandum sibi sum-
serant, argumento minus arcte copulata esse, nec nisi reminiscentibus et re-
cordantibus, quae in ditissimo lectionis penu recondita latebant, saepe excidisse.
Haec igitur, ut ab illis, quae ad poëmatis materiam sive deligendam, sive dis-
ponendam, proxime spectant, quantum eius fieri possit, sedulo discernantur,
imprimis studendum est. Frustra autem sunt, qui poëtam Alexandrinum et
recentioris quempiam aetatis eadem trutina pensantes, quum Scholiorum Grae-
corum auctoritatem, tum universi huius instituti rationem et utilitatem ele-
vare conantur.

c) Teste Plinio H. N. VII. 57. coll. V. 31. Cf. *Creuzer.* Hist. K. d. Gr. p. 63. Contra *Suidas* v. Ἑκαταῖος, incertum quo auctore, Hecataeum Milesium primum vocat Historicum. Ceterum *Cadmi*, cuius quae ferebantur scripta spuriis annumerat Dionysius Halic. (De Thucyd. Charact. T. VI. p. 864. Reisk.), in Scholiis ad Apollonii Argonautica nulla prorsus mentio fit.

d) De Histor. Graec. IV. 2. 4.

e) Ad Solinum p. 590 sq.

f) De Scriptor. hist. philos. I. 3. 6. p. 24. I. 12. 5. p. 77.

g) Ad Harpocrat. v. Ὁμηρίδαι.

h) Ad Helladii Chrestomath. p. 58.

bella Persica (Olymp. LX—LXXV.) vixisse putandi sint *i)*. Quae autem rerum Hellenicarum memoriae posteritati propagandae prima, prosa oratione, pericula fecerunt, *Strabone* iudice *l)* valde imperfecta fuere, quum, metro excepto, et materiae *m)*, et formae, et elocutionis ratione ad poësin proxime accederent. Quo Strabonis loco, in margine descripto, inter primos logographos nullam *Acusilai* mentionem fieri, iure mireris: quippe qui, quantum ex aliis indiciis testimoniisque colligi licet, antiquissimis huius generis scriptoribus adscribendus videtur. In hunc numerum enim refertur a Dionysio Halic. *n)*, et Suidas, quamvis tribus locis (vv. ἱστορῆσαι, συγγράφω, Ἑκαταῖος) scripta, quae fortasse tum, aut potius auctorum quos exscripsit aetate, sub Acusilai nomine circumferebantur, spuria esse testetur, tamen, sub voce Ἀκουσίλαος *o)*, scriptorem hunc non solum ἱστορικὸν πρεσβύτατον appellat, sed etiam tradit, Acusilaum *Genealogias p)* suas *in tabulis aeneis* (ἐκ *q)* δέλτων χαλκῶν) exarasse. Quae narratio, nisi omnino fabulosa habenda sit *r)*, et satis remotam scriptoris aetatem proderc videtur, et simul indicare, Genealogias has admodum breve opusculum fuisse. Brevitatem hanc quodammodo firmare possit fama, a *Clemente* Alexandrino servata *s)*, Acusilaum Hesiodi ἔπη (τὰ Ἡσιόδου) in prosam transtulisse, dummodo Hesiodi ἔπεσιν brevius carmen, *Theogoniae* nomine vulgo notum, intelligendum esse ponas, nec potius, Scholiasta duce ad Apollon.

i) *Iosephus* lib. I. contra Appion. *Οἱ μέντοι τὰς ἱστορίας ἐπιχειρήσαντες συγγράφειν παρ' αὐτοῖς* (τοῖς Ἕλλησι), *λέγω δὲ τοὺς περὶ Κάδμον τε τὸν Μιλήσιον, καὶ τὸν Ἀργεῖον Ἀκουσίλαον, καὶ μετὰ τούτων εἴ τινες ἄλλοι λέγονται γενέσθαι, βραχὺ τῆς τῶν Περσῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατείας τῷ χρόνῳ προύλαβον.* Cf. *Dodwelli* Ann. Thucyd. p. 3. *Creuzer* l. l. p. 64 sq.

l) Geograph. I. p. 18. *Πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, καὶ εὐδοκίμησεν· εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τ' ἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ, συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδην καὶ Ἑκαταῖον.*

m) Cf. Thucyd. I. 21.

n) De Thucyd. char. c. 5. Opp. T. VI. p. 818. ed. Reisk. Adde *Iosephi* locum supra descr. et Clementem Alex. Strom. I. p. 299 D. *Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκατέλεξαν* (nonnulli) *τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς.*

o) *Ἀκουσίλαος, Κάβα υἱὸς, Ἀργεῖος, ἀπὸ Κερκάδος πόλεως, οὔσης Αὐλίδος πλησίον. Ἱστορικὸς πρεσβύτατος. ἔγραψε δὲ γενεαλογίας ἐκ δέλτων χαλκῶν, ἃς λόγος εὑρεῖν τὸν πατέρα αὐτοῦ ὀρύξαντά τινα τόπον τῆς οἰκίας αὐτοῦ.*

p) Quae antiquiore aetate communis fere inscriptio erat operum historicorum, propter mythicum eorum argumentum. Vide *Heynium* in Comm. de Apollodori Bibl. p. XXXIII. et in Indice Scriptor. ab Apollod. laudd. p. 351. *Sturzium* ad Pherecydis Atheniensis (qui ob id ipsum *γενεαλόγου* cognomen habuit) Fragmenta p. 66. *Creuzerum* Hist. K. d. Gr. p. 78 sq.

q) *ἐκ δέλτ. χ.* vix aliter hoc loco quam pro *ἐν δέλτοις χ.* accipiendum esse puta, noto Graecorum usu. Vide *Passovium* in Lex. Gr. T. I. p. 425 b.

r) Ita tamen statuendum videtur, auctore *Wolfio* in Prolegg. ad Hom. p. LX.: „In lapidibus autem, in lignis et laminis metallorum prima tentamina scribendi facta esse, minime dubium est: certe optimis scriptoribus accredimus, leges ligneis tabulis et axibus a Solone aliisque incisas. *At huic materiae alias quam publicas litteras mandavisse Graecos, nemo temere credat*, nisi cui Boeoti persuaserint de plumbeo suo exemplari *Ἔργων* Hesiodi (Pausan. IX. 31.)"

s) Strom. IV. p. 629 A. *Τὰ Ἡσιόδου μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον, καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος οἱ Ἱστοριογράφοι.*

Rhod. II. 1125 *t)*, de *Eoeis*, Hesiodo communiter tributis, cogitandum esse statueris. Accedit, quod Scholia nostra, in quibus Genealogiae Acusilai simpliciter commemorantur *u)*, alio loco *tertium* librum diserte laudant *x)*. Sed idem hoc scholion, in quo fabulosa Phaeacum origo ex Urani sanguine traditur, alia etiam de causa nos advertit. Mythi enim ab Apollonio expositi auctores nominantur *Acusilaus* et *Alcaeus* lyricus poëta, sed eo positi ordine, ut Alcaeus Acusilai vestigiis institisse videatur. Ἀκουσίλαος, inquit Scholiastes, ἐν τῇ τρίτῃ φησὶν, ὅτι ἐκ τῆς ἐκτομῆς τοῦ Οὐρανοῦ ῥανίδας ἐνεχθῆναι συνέπεσεν, τουτέστι σταγόνας, κατὰ τῆς γῆς· ἐξ ὧν γενηθῆναι τοὺς Φαίακας· οἱ δὲ τοὺς Γίγαντας. καὶ Ἀλκαῖος δὲ κατὰ τὰ αὐτὰ Ἀκουσιλάῳ λέγει τοὺς Φαίακας ἔχειν τὸ γένος ἐκ τῶν σταγόνων τοῦ Οὐρανοῦ. Ex qua animadversione aliquis colligere saltem possit, scholii auctorem Acusilaum vetustiorem Alcaeo existimasse *y)*, ita ut iam aute XLV^tam^ Olympiadem illum vixisse consequeretur. Cui opinioni et famam illam *de aeneis tabulis*, Suidae eodem loco, quo Acusilaum ἱστορικὸν πρεσβύτατον appellat, commemoratam, et Clementis Alexandrini locum supra laudatum *z)*, in quo Acusilaum Argivum a quibusdam in VII Sapientium numerum relatum esse legimus, admodum favere haud negaverim. Nec vero ei obstare dixeris, Cadmum Milesium, aut, secundum alios, Hecataeum, primum haberi logographum. Nam, ut nihil dicam de auctorum, quorum in hac re nitimur testimonio, iuventute, ipsa sententiae quam prodidere diversitas perspicue docet, rem totam iam apud veteres controversam fuisse, nec nisi famae incertae auctoritate comprobari posse. Sed quorsum haec disputo? Verissima quodam modo esse possunt testimonia illa de primis Cadmi Milesii vel Hecataei in prosa narratione tentaminibus. Etenim a Suida accepimus, scripta Acusilai nomen prae se ferentia communi consensu spuria haberi. Iam vero licet concedamus, compilatoris huius fidem per se levissimam esse; quum tamen eamdem notitiam diversis locis, ut diximus, *ter* inculcaverit: probabile videri haud diffitemur, eam tum ex idoneis auctoribus descriptam, tum minime dubiam fuisse. Quodsi genuina Acusilai scripta perierant, quaeque tum exstabant, ad ignotum posterae aetatis auctorem referebantur; quid vetuit, ne *Cadmus Milesius*, aut, quum huius etiam libri, Dionysio Halic. teste *a)*, supposititii essent, *Hecataeus* antiquissimus, cuius quidem opera adhuc superessent, historicus haberetur? Τὰ γὰρ Ἀκουσιλάου νοθεύεται. Atque sic Strabonis etiam de Acusilao, tamquam

t) Ἄργος... εἷς τῶν Φρίξου παίδων οὗτος. τούτους δὲ Ἡρόδωρος φησὶν ἐκ Χαλκιόπης τῆς Αἰήτου θυγατρός. Ἀκουσίλαος δὲ καὶ Ἡσίοδος ἐν ταῖς μεγάλαις ἠοίαις φασὶν ἐξ Ἰοφώσσης τῆς Αἰήτου.

u) Ad Argon. IV. 1147. Ἀκουσίλαος ἐν τῷ περὶ γενεαλογιῶν πορφυρευθῆναι φησὶν (vellus aureum) ἀπὸ τῆς θαλάσσης.

x) Ad Argon. IV. 992. Eiusdem libri tertii, haud dubie Genealogiarum, meminit Harpocration v. Ὁμηρίδαι. Cf. Heynium in Indice etc. p. 351 sq.

y) Alioquin convenientius certe fuisset, primum mythi auctorem Alcaeum laudare, addita subinde mentione, idem tradi ab Acusilao.

z) In nota *n)*.

a) De Thucyd. Indic. T. VI. p. 864 Reisk.

deperdito scriptore, silentium *b)* facilius explicatur. Sed tamen restant nonnullae quaestiones, ad quas quid respondeam, ut mihi ipse satisfaciam, non habeo. Quaeritur enim primo, quam mature verae Acusilai Genealogiae perierint? tum, quo circiter tempore scripta, quorum Suidas meminit, ei subdita fuerint? *Platonis* certe aetate genuina exstitisse credere licet. Is enim, scriptorum qui Acusilai meminere antiquissimus, luculento loco (in Symposio T. III. p. 178 C.) Acusilaum cum Hesiodo consentientem perhibet *c)*. Denique quaerimus: Fragmentane Acusilai, in Scholiis nostris ad Apollonium Rhodium prolata *d)*, e genuinis an spuriis Genealogiis petita sunt? *Heynius* quidem prius tueri conatur *e)*. Attamen suspicionem movere potest, excepto Platone, veterum historicorum, qui supersunt, neminem ante Apollodorum Atheniensem Genealogias has commemorasse.

Multo certior est aetas *Hecataei Milesii*, qui quingentis ante Christi natales annis circa Olymp. LXIX. Darii Hystaspis F. temporibus floruit *f)*, et cuius operum tam historicorum quam geographicorum complurium indices servati sunt *g)*. Ἱστορίαι He-

b) Loco supra laud. I. p. 18. Semel quidem Strabo ab Acusilao, haud dubie in Genealogiis, tradita, refert lib. X. p. 472 D. *Ἀκουσίλαος ὁ Ἀργεῖος ἐκ Καβείρης καὶ Ἡφαίστου Κάμιλλον λέγει.* Sed quis spondebit, ipsum Acusilai opus, quod ne nominat quidem. manibus suis tractasse Strabonem, nec potius scriptores, qui Acusilai dicta retulerant, secutum esse?

c) *Ἡσίοδος πρῶτον μὲν χάος γενέσθαι φησίν.... μετὰ τὸ χάος δύω τούτω γενέσθαι, γῆν τε καὶ Ἔρωτα.... Ἡσιόδῳ δὲ καὶ Ἀκουσίλεως ὁμολογεῖ.* Cf. Stobaeum in Eclog. Phys. I. p. 23. Sed alio etiam loco (in Timaeo T. III. p. 22 A.) Acusilaum Plato secutus esse traditur Clementi Alexandr. Strom. I. p. 321 A. et ex eo Eusebio Praep. Evang. X. 12. p. 497 D. *Ἀκουσίλαος Φορωνέα πρῶτον ἄνθρωπον γενέσθαι λέγει.... Ἐντεῦθεν ὁ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ κατακολουθήσας Ἀκουσιλάῳ, γράφει· καί ποτε προαγαγεῖν βουληθεὶς αὐτοὺς περὶ τῶν ἀρχαίων εἰς λόγους τῶν τῇδε, τὰ ἀρχαιότατα λέγειν ἐπιχειρεῖν, περὶ Φορωνέως τε τοῦ πρώτου λεχθέντος καὶ Νιόβης.* Cf. *Sturzium* in Acusilai Fr. ad calcem Fragm. Pherecydis p. 233.

d) Praeter loca iam laudata ad II. 1125. IV. 992. 1147. pertinent huc etiam Scholia ad IV. 57. *de Endymione*, et ad IV. 828. *de Scyllae parentibus*, quos, cum Acusilao faciens, Phorcyn et Hecaten fuisse tradit Apollonius.

e) In Indice Scriptor. ab Apollod. laudd. Obss. p. 352.

f) Teste Herodoto V. 36. II. 143. Cf. *Sevini* Recherches sur Hecatée de Milet, in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. VI. — *Sturzius* ad Hellanici Fragm. p. 4. *Creuzerus* in Historicor. Graecor. antiquissimor. Fragmentis p. 3 sq. *F. A. Uckerti* Untersuchungen über d. Geographie des Hekataeus u. Damastes p. 5.

g) Vide *Creuzerum*, qui Fragmenta Hecataei historica primus collegit, in libro modo laudato p. 38 sq. Citantur eius *Γῆς περίοδος*, *Εὐρώπης περίοδος*, *Περιήγησις Ἀσίας*, *Αἰγύπτου*, totidem fortasse partes unius operis quod primo loco memoravi. Vide Creuzerum l. l. Uckertum l. l. p. 9. et in Geogr. d. Gr. und Römer T. I. p. 70. *Callimachi*, Grammatici et poëtae Alexandrini, iudicium, cui Asiae ista *περιήγησις* (seu potius universum opus Hecataei, v. Uckert p. 12.), teste Athenaeo II. p. 70 B. (coll. Casaubono ad Athen. p. 144.) non videbatur genuinum opus Hecataei Milesii, suffragante Valckenario ad Herodot. II. 77., idoneis rationibus impugnavit *Uckertus* in Untersuchungen etc. Idem opus geographicum *Straboni* obversatum esse videtur, ita scribenti T. I. p. 7. *Τὸν δὲ Ἑκαταῖον καταλιπεῖν γράμμα πιστευόμενον ἐκείνου εἶναι ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς.* Cf. Uckert l. l. p. 21. — Post Anaximandrum primus Hecataeus orbem terrarum lineis per tabulas ductis exhibuisse videtur. Agathemer I. c. 1. Eustathius ad Dionys. Perieg. init. Cf. *Uckert* Geogr. d. Gr. u. R. T. I. p. 70. *Creuzer* Histor. Gsaecor. Frag. p. 9.

cataei, quarum primus liber in scholiis nostris ad Argon. l. 551. laudatur, opus haud diversum fuisse videntur ab eiusdem *Genealogiis h)*, quarum tertium librum ex Athenaeo IV. p. 148. novimus, quartum ex Stephano Byz. v. ψωφίς; exordium autem Demetrius de Elocut. §. 12. servavit, non sine laude memoratum *Creuzero i)*. Ad libros hos referas licet duo loca in Scholiis ad Apollonii Argon. in quibus narrationis poëtae fortasse auctor habendus erit; lib. I. vs. 256. ὅτι δὲ ἐλάλησεν ὁ κριὸς, καὶ Ἑκαταῖος φησίν. et lib. II. vs. 999. de Amazonibus trifariam divisis, Themiscyriis, Lycastiis et Chadesiis, collato Schol. ad II. 373. et Steph. Byz. v. Χαδησία. Cf. Creuzeri Historicor. Graecor. Fragm. p. 79 sqq. Reditum Argonautarum ex Phaside in Oceanum, inde in Nilum, ex hoc in mare internum tradiderat Hecataeus, reprehensus propterea ab Artemidoro Ephesio. V. Schol. ad Apoll. Rh. IV. 259 *l)*.

Sed longe frequentior *Hellanici Lesbii*, Herodoto paene aequalis *m)*, in Scholiis nostris mentio fit. Hoc loco ea tantum fragmenta commemorare iuvat, quae ad poëtae narrationem proxime referri possunt. Cuius generis sunt primo notationes genealogicae de *Phinei* et *Iasonis* stirpe Argon. II. 178 et III. 355. Secundum Hellanicum ille patrem habuit Agenorem, hic ex Aeoli gente originem cepit. Utroque loco Apollonius Hellanicum secutus est. Idem affirmari licet in mytho *de avibus Stymphaliis*, quas Hercules crepitaculi strepitu dispulisse traditur: χαλκείην πλαταγὴν ἐνὶ χερσὶ τινάσσων. II. 1056. Porro I. 916. ἐν πρώτῳ Τρωϊκῶν, ubi agitur *de Electra*, Atlantis filia et matre Dardani. De ea Samothrace insula, in qua liberos suos eduxit, nomen accepit, quo Apollonius utitur loco laud... ἔκελσαν νῆσον ἐς Ἠλέκτρης Ἀτλαντίδος *n)*. III. 1085 sqq. ἐν πρώτῳ τῆς Δευκαλιωνίας *de Deucalione*, quem Hellanicus primum Thessaliae regem, et, aris duodecim Diis exstructis, religionum Hellenicarum auctorem tradiderat *o)*. Ad utrumque respexit poëta his versibus:

h) Cf. Creuzer Hist. K. d. Gr. p. 79. et Historicor. Graecor. Fragm. p. 67.

i) Hist. Kuust d. Gr. p. 86.

l) Quod praeterea in Scholiis nostris ad Argon. II. 675 singulare opus Hecataei *de Hyperboreis* memoratur: ἔστι δὲ αὐτῷ βιβλία ἐπιγραφόμενα περὶ τῶν ὑπερβορείων, ad *Hecataeum Abderitam*, Alexandri M. et Ptolemaei Lagi F. temporibus florentem, referendum est. Vide *Uckert* Untersuchungen p. 11. et 52 sq.

m) *Pamphila*, femina Aegyptia doctissima, sub Neronis imperio, auctore. Cuius notationem servavit *Gellius* N. A. XV. 23. „Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scriptores, in iisdem temporibus fere laude ingenti floruerunt, et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus initio belli Peloponnesiaci (Olymp. 87, 1.) fuisse quinque et sexaginta annos natus videtur, Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta.“ Ergo natus est Hellanicus duodecim annis ante Herodotum, quinque et viginti ante Thucydidém, h. e. Olymp. LXX. 4. Vide *Sturzium* in Comm. de Hellanici vita, aetate et scriptis, Fragmentis Hellanici praemissa, p. 5.

n) Cum Scholiis nostris cf. Apollodor. III. 12. 1. et *Heynii* Observationes p. 292.

o) Ὅτι δὲ Προμηθέως υἱὸς Δευκαλίων ἐβασίλευσε Θεσσαλίας, Ἑλλάνικος φησί. Καὶ ὅτι δώδεκα θεῶν βωμὸν ἱδρύσατο. (Differunt Scholia Parisina) Et paullo post, ad vs. 1086.: ὅτι δὲ καὶ ὁ Δευκαλίων ἐβασίλευσε Θεσσαλίας, Ἑλλάνικος ἐν

Ἔστι τις αἰπεινοῖσι περίδρομος οὔρεσι γαῖα,
πάμπαν εὔρειτός τε καὶ εὔβοτος, ἔνθα Προμηθεὺς
Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα,
ὃς πρῶτος ποίησε πόλεις καὶ ἐδείματο νηοὺς
ἀθανάτοις, πρῶτος δὲ καὶ ἀνθρώπων βασίλευσεν.

Locus, in quo vellus aureum suspensum erat, Apollonio Rhodio (II. 404.) *lucus Martis* fuisse perhibetur, *Iovis templum* Hellanico. Dissensum hunc componere conatus est *Sturzius*, vir doctissimus *p)*, adhibito Apollodoro, „quo, inquit, auctore (Bibl. I. 9. 1.) Phrixus arietem, quo vectus feliciter mare traiecerat, immolavit quidem Iovi, sed aureum eius vellus donavit Aeetae, Colchidis regi, a quo exceptus fuerat, qui illud suspendit in luco Martis.“ Sed mox retractavit sententiam suam, recte. Nonnulla etiam narrationis diversitas observatur Scholiastae ad III. 1179 et 1186 *q)* in fabula de *Spartis* i. e. heroibus Thebanis, qui ex satis a Cadmo dentibus serpentis exorti ferebantur. Apollonius multitudinem inducit Spartorum; Hellanicus *in primo libro Phoronidis*, antiquiorum mythum secutus, non nisi quinque γηγενεῖς sive satos heroas tradiderat. Immutatae narrationis, quae postea obtinuit, ducem habuit poëta *Pherecydem* Atheniensem, quem, secundum Scholia ad Argon. III. 1179 et Apollodorum III. 4. 1. illius auctorem existimari oportet. Duo alia insuper opera Hellanici in Scholiis nostris memorantur: *De populis*, ἐν τῷ περὶ ἐθνῶν, ad Argon. IV. 322. ubi de *Sindis*, Scythica gente, agitur, cuius eo loco meminit Apollonius; et *De Arcadia* ἐν τῷ περὶ Ἀρκαδίας, ad Argon. I. 162. de *Cepheo Arcade*, ab Argonauta huius nominis. quem Apollonius laudat, diverso, et ex apri Calydonii venatoribus uno. At longe plures operum Hellanici tituli et fragmenta supersunt *r)*, et, si fides habenda est nonnullis scriptoribus, car-

πρώτῳ τῆς Δευκαλιωνίας φησίν. Καὶ ὅτι δώδεκα θεῶν βωμοὺς ὁ Δευκαλίων ἱδρύσατο, Ἑλλάνικος ἐν τῷ αὐτῷ φησὶ συγγράμματι. Secundum haec miror, *Weichertum*, V. Cl. in libro supra laud. p. 222. scribere potuisse: „*Obgleich Hellanicus in den Scholien mehrmals angeführt wird, so finden wir doch nirgends bemerkt, dass Apollonius etwas von ihm entlehnt habe, wenn man nicht solche Stellen, wie II. 178.* (de Phinei stirpe) *hieher ziehen will.*“

p) In *Hellanici Lesbii Fragmentis*, Lipsiae 1787. 8. p. 140.

q) *Περὶ τῆς Κάδμου εἰς Θήβας παρουσίας Λυσίμαχος.... ἱστορεῖ. καὶ Ἑλλάνικος ἐν α΄ Φορωνίδος· ἱστορῶν ὅτι καὶ τοὺς ὀδόντας ἔσπειρε τοῦ δράκοντος κατὰ Ἄρεος βούλησιν· καὶ ἐγένοντο πέντε ἄνδρες ἔνοπλοι, Οὐδαῖος, Χθόνιος, Πέλωρ, Ὑπερήνωρ, Ἐχίων.* Et ad vs. 1186. *Λέγει δὲ καὶ Ἑλλάνικος, ὅτι Κάδμος ἐξελὼν τοῦ ὄφεως τοὺς ὀδόντας ἔσπειρεν. ἐκ δὲ αὐτῶν πέντε ἄνδρες ἔφυσαν, Ὀ. Χθ. Π. Ἐχ. Ὑπ. Καὶ ὁ μὲν Ἑλλάνικος μόνους φησὶ τούτους βεβλαστηκέναι, ὁ δὲ Ἀπολλώνιος πολλοὺς καὶ ἄλλους, καὶ ἀλλήλους πεφονευκέναι.* Cf. Sturzium l. l. p. 105.

r) Et haec et illos diligenter collegit *Sturzius*. Fragmenta quidem CXXXXV reperit; indices autem operum *undetriginta*, quae tamen, ipso Sturzio auctore, (Hell. Fr. p. 38. 47. 50. 65. 68. 76. 86. 87. 89.) ad multo minorem numerum redigi facile poterunt. Adde *Creuzerum*, idem sentientem, in Hist. K. d. Gr. p. 80 sq. Sunt autem, praeter ea quae iam citavi (*περὶ Ἀρκαδίας*, *Ἀτλαντὶς*, *Δευκαλιωνεία*, *περὶ ἐθνῶν*, *Τρωϊκὰ*, *Φορωνίς*), sequentes: *Αἰγυπτιακὰ*, *Αἰολικὰ*, *ἡ εἰς Ἄμμωνος ἀνάβασις*, *Ἀργολικὰ*, *Ἀσωπὶς*, *Ἀτθὶς*, *Βαρβαρικὰ Νόμιμα*, *Βοιωτιακὰ*, *Διὸς πολυτυχία*, (*Ἐθνῶν ὀνομασίαι*) *Θετταλικὰ*, *Ἱέρειαι τῆς Ἥρας*, *Ἱστορίαι*, *Καρνεονίκαι*, *Κραναϊκὰ*, *Κτίσεις*, (*περὶ Χίου κτίσεως*), *Κυπριακὰ*, *Λεσβικὰ*, *τὰ περὶ Λυδίαν*, *Περσικὰ*, *Σκυθικὰ*, *Φοινικικά*.

minum etiam auctor fuit *s)*: quamquam Hellanici liber tum in scholiis nostris, tum alibi sub *Phoronidis* nomine laudatus *t)*, quo nomine etiam carmen cyclicum antiquum auctoris ignoti celebratur *u)*, opinioni huic ansam dedisse videri possit. — Ceterum probabiliter coniiciunt viri docti, librorum Hellanici, quorum indices in margine enotavimus, magnam partem non totidem

s) *Suidas* voce Ἑλλάνικος· *συνεγράψατο δὲ πλεῖστα π ε ζ ῶ ς τ ε κ α ὶ π ο ι η τ ι κ ῶ ς* (Edd. vett. ἐπικῶς). *Athenaeus* XIV. p. 635 E. *Τὰ Καρνεῖα* (Ita appellabantur novem dies festi a Lacedaemoniis primum instituti in honorem Apollinis *Καρνείου*, et cum conviviis et sacris certaminibus celebrari soliti. Cf. Sturzium l. l. p. 84 sq.) — *Τὰ Καρνεῖα πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡ ς Ἑ λ λ ά ν ι κ ο ς ἱ σ τ ο ρ ε ῖ, ἔ ν τ ε τ ο ῖ ς ἐ μ μ έ τ ρ ο ι ς Κ α ρ ν ε ο ν ί κ α ι ς, κ ἂ ν τ ο ῖ ς κ α τ α λ ο γ ά δ η ν.* Etiam liber Hellanici, qui inscribitur *Διὸς πολυτυχία* (Iovis fortunae vicissitudines) a solo *Fulgentio* in Mytholog. l. 2. p. 36. ed. Muncker. laudatus, *metricum* opus fuisse videtur Sturzio l. l. p. 75. Denique *Tzetzes* in Fragmento *Μεθομηρικῶν*, a *Dodwello* de Graecorum et Rom. cyclis p. 803. allato, annum, mensem et diei tempus, quo capta sit Troia, Hellanico auctore definiturus, his verbis utitur:

— — — — — Κείνῃ ἐν ὥρῃ
Κείνῃ νυκτὶ, ὁ Λ έ σ β ι ο ς Ἑ λ λ ά ν ι κ ο ς ἀ ε ί δ ε ι·
Σὺν τῷ καὶ Δοῦρις· Τροίαν ἑλέειν Παναχαίους.

Nec adversatur *Creuzerus*, l. l. p. 83 sq. ita disserens: „*Die Sieger in den Karneischen Spielen hatte Hellanikos in einem Gedicht*, *Καρνεονίκαι*, *besungen*, oder *aufgezählt. In diesem letztern u. wahrscheinlichern Falle war dieses Poëm kyklischer Art, in welchem die Dichtkunst den Zwecken der Historie diente. Zugleich kann es, so angesehen, als Beispiel gelten, dass die kyklische Dichtung und die Logographie nicht so weit aus einander lagen, um nicht sehr bequem von derselben Person zu derselben Absicht gebraucht zu werden.*“ — Attamen auctoritates hae, si Athenaei locum excipias, parum valent. Certe verbum *ἀείδειν*, quo utitur Tzetzes, non semper de solis poëtis dici, docuit Sturzius in Praefat. ad Fragm. Hellanici p. XV sq. Athenaei locus autem nondum satis emendatus mihi quidem videtur, ut eius auctoritate fretus certi quid de poëticis Hellanici scriptis pronuncies. Quem si cum *Sturzio* (in Hellan. Fragm. p. 84.) ex ipsa inscriptione operis interpretari velis: „Ut Pindarus edidit *Ὀλυμπιονίκας*, *Πυθιονίκας* etc. ita Hellanicus *Καρνεονίκας* h. e. carmine recensuit vel laudavit eos qui in Carneis vicissent“: ponas necesse est, quod parum verisimile, Hellanicum idem argumentum versibus et soluta oratione extulisse: *ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ ἔν τε τοῖς ἐμμέτροις Καρνεονίκαις, κἂν τοῖς καταλογάδην.* Ut taceam, ipsum verbum *ἱ σ τ ο ρ ε ῖ*, quamquam illud per se rem non conficere fateor, (cf. *Meier Marx* ad Ephori Fragm. p. 6. *Weichert* über das Leben etc. p. 172 et not. 215.) tamen vix suadere, ut de carmine cogites.

t) Vide Schol. ad Apollon. Rh. III. 1176. Dionysius Halicarnasseus, cui opus hoc bene cognitum esse debuit, ex eo in Archaeologia sua (I. 28. apud Sturzium Fr. LXXVI. p. 104.) famam priscam de Tyrrhenis, *ipsis*, ut apparet, *Hellanici verbis* servavit, quae abunde docent, Phoronidem Hellanici *prosa oratione* conscriptam fuisse. Fallitur igitur *Dodwellus*, qui ad Tzetzae fragmentum supra appositum, vocabulo *ἀείδει* innisus, *carmen*, Phoronis inscriptum, cuius auctor Hellanicus esset, respici putaret. Ceterum *Phoronidis Hellanici* etiam meminere Athenaeus IX. p. 410 F., Harpocration v. *Στεφανηφόρος*, qui *decimum* librum Phoronidis laudat: *Proclus* ad Hesiodi *Ἔργα* p. 141. ed. Heinsii. Ad eumdem librum referenda videntur quae *Eustathius* ad Iliad. *γ'* p. 292. 1. ed. Basil. de tribus Phoronei filiis, Iaso, Pelasgo et Agenore, ex Hellanico affert: qui locus, a simili ex *Argolicis* Hellanici petito, apud Schol. Hom. Il. *γ'* 75. recedens, fugisse videtur Sturzii diligentiam.

u) *Sturzius* l. l. p. 103. „Et epicum quidem carmen antiquissimum, *Φορωνὶς* inscriptum, cuius auctor ignotus est, commemoratur a Schol. Apollon. I. 1129. ubi etiam sex versiculi ex eo laudantur, et Clemens Alexandr. Strom. I. p. 321 A. *ὁ τῆς Φορωνίδος ποιητὴς*, inquit, *εἶναι αὐτὸν* (Phoroneum) *ἔφη πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων.* Non paucos versiculos ex eo poëmate depromtos idem Clemens affert p. 348 D. sq. Laudatur etiam a Strabone X. p. 472 A.“ Cf. Heynii Obss. ad Apollod. p. 96.

opera diversa, sed unius vel duorum, fortasse Κτίσεων et Ἱστοριῶν singulas tantum partes et capita habenda esse. In hunc numerum retulerim τὰ Αἰγυπτιακὰ, τὰ Αἰολικὰ, τὰ Λεσβικὰ, τὰ Ἀργολικὰ, τὰ περὶ Ἀρκαδίας, τὰ Βοιωτιακὰ, τὰ Θετταλικὰ, τὰ Κυπριακὰ, τὰ περὶ Λυδίαν, τὰ Περσικὰ, τὰ Σκυθικὰ et τὰ Τρωϊκά. Contra Ἀτθὶς, Ἀτλαντὶς *x*), Δευκαλιωνεία et Φορωνὶς singula opera fuisse mihi videntur. De *Deucalionia* certe id colligas e Scholiis nostris ad Argon. III. 1086. ubi haec leguntur: ὅτι δὲ καὶ Δευκαλίων ἐβασίλευσε Θεσσαλίας, Ἑλλάνικος ἐν πρώτῳ τῆς Δευκαλιωνίας φησίν. Καὶ ὅτι δώδεκα θεῶν βωμοὺς Δευκαλίων ἱδρύσατο, Ἑλλάνικος ἐν τῷ αὐτῷ φησὶ συγγράμματι. Deucalionia igitur singulare σύγγραμμα, sive opus historicum soluta oratione conscriptum erat, quo mythi Hellenici exponerentur. *Phoronis* autem, Argivorum origines et res gestas enarrans, cuius secundum librum Athenaeus, decimum Harpocration laudat, sine ulla dubitatione pro singulari opere habenda est. In ea nonnulla diverse tradebantur atque in aliis eiusdem scriptoris libris. Sic fabulosa dentium serpentis satio aliter in Phoronide, aliter ἐν Βοιωτιακοῖς refertur. Vide Schol. Apollonii Rh. III. 1179 coll. Schol. ad Hom. Iliad. β' 494. *y*). Similem narrationis discrepantiam inter Phoronidem et Ἱστορίας Hellanici animadvertit Athenaeus IX. p. 410 F.

x) Diverse scribitur nomen operis. Vide *Sturzium* p. 61., qui p. 63. partem Atlantidis fuisse librum τῶν Τρωϊκῶν arbitratur. Cf. eumdem p. 99. In plures tamen libros Atlantidem Hellanici descriptam fuisse, patet ex Schol. ad Hom. Il. σ' 486. φησὶ δὲ καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀτλαντιδῶν κ. τ. λ.

y) Quam narrationis diversitatem non animadvertisse videtur *Sturzius*, coniiciens p. 65. et 106., τὰ Βοιωτιακὰ partem Phoronidis habendam esse.

DOCTRINAM RELIGIONIS CHRISTIANAE ad Christiano-Catholicae ecclesiae normam et praecepta tradet Ioannes Skideł S. Theol. et Canon. Doctor, diebus horisque designandis, eamque, cum Ascesi Christiana coniunctam intra decem proximos menses absolvet.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

MICHAEL PEŁKA POLINSKI, Phil. D., Acad. Florent., Luc., Patav. et Societ. Philom. Paris. adscriptus, Seminarii Paedagogici Praefectus, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O., sexies per hebdomadem hora VIII ad IX matutinam, 1. Mathesin sublimiorem tradet duce Lacroix, et Mechanicam analyticam. 2. Horis pomeridianis posthac designandis Geodesiam sublimiorem exponet.

IOSEPHVS TWARDOWSKI, Phil. D., a Cons. Aul., Matheseos sublimioris purae Prof. P. O., Universitatis h. t. Rector quum munere hoc et officio gravissimo districtus docendi partes ipse suscipere nequeat, eo moderante Antonius Wyrwicz Phil. D., sexies per hebdomadem hora VII ad VIII tradet Mathesin sublimiorem puram ab Algebra sublimiore incipiens; ducibus Lacroix et Cauchy deinde tractatum de lineis et planis curvis duce Bioto exponet.

MICHAEL OCZAPOWSKI, Societ. agronom. Mosquen. Sodalis, Oeconomiae ruralis Prof. P. O., quotidie, Solis festisque diebus exceptis, hora VIII—IX. matut., Oeconomiae ruralis et rei saltuariae praecepta tradet eo ordine, quem tum in libris a se editis, tum in dictatis suis agronomicis secutus est.

CAROLVS PODCZASZYNSKI, Phil. Mag., Architecturae generalia praecepta ad Durandii methodum, et doctrinam de conficiendis viis ac pontibus, Sganzinio et Gauthey ducibus, sexies per hebdomadem, hora IX—X matut. exponet.

IGNATIVS HORODECKI, Phil. D., a Cons. Aul., Caes. Societ. Med. Viln. et Med. Paris. Sodalis, Universitatis Adiunctus, quotidie Solis festisque diebus exceptis, hora XI—XII Mineralogiam ad Werneri rationem docebit.

FELIX DRZEWINSKI, Phil. D., Univ. Adiunc., sexies per hebdomadem hora X—XI antemerid., Physicam experimentalem tradet ad Elementa sua typis excusa.

PETRVS SŁAWINSKI, Phil. D., Soc. Astron. Londin. Sodalis, Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni diebus, Astronomiam theoreticam et practicam, Delambrio et Bioto ducibus, docebit.

VALERIANVS GORSKI, Phil. D., Societati Parisiensi ad augendam Civium industriam constitutae adscriptus; sexies per hebdom. hora XI—XII. Mechanicam practicam i. e. de machinis doctrinam ad Hachettii et Borgnisii praecepta, tum doctrinam de canalibus, de retinaculis aquae decurrentis (Écluses) deque interiore navigatione exponet.

IOSEPHVS IVNDZIŁŁ, Phil. Mag., Lun., Iov. et Vener. diebus, hora III—IV, Botanicam ad Elementa S. B. Iundzillii eiusque ductu tradet.

ANTONIVS OCZAPOWSKI, Philos. Magister, diebus Lunae, Merc. et Ven. hora IV—V pomerid. Chemiam agronomicam et Technologiam rei rusticae ad praecepta Chemiae Agronomicae a Mich. Oczapowskio, Oeconomiae ruralis professore, in lucem edita, et ad ductum Fr. Hermstädtii, Technologiae in Acad. Berolin. professoris, docebit.

IGNATIVS FONBERG, Phil. Cand., Chemiae Universae Elementa, ad Andreae Sniadeckii Institutiones tertium editas exponet sexies per hebdom., hora IX—X antemerid.

FORTVNATVS IVREWICZ, Philos. Candidat. tribus hebdomadis diebus Zoologiam anatomes comparatae fundamento ita superstruere conabitur, ut ab imo simplicioreque ad superiores, eosque multiplici fabrica praestantiores animalium ordines continua quadam demonstrationum serie assurgat; in aspondylorum animantium historia cel. quondam Schweiggeri compendium (Handbuch der Naturgesch. der skeletlosen ungegliedert. Thiere. Leipz. 1820) in reliquis ill. Cuverii librum (le règne animal par Mr Cuvier à Paris 1817) secuturus.

Geometriae descriptivae praecepta tradet Lun. et Iov. diebus hora I—II pom. Martis vero hora I—III. Magister ad hoc munus designatus.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

AVGVSTVS BECV, Phil. et Med. D., Status a Consil., ordinis S. Vladimiri IV. cl. Eques, Caes. Soc. Medicor. Vilnensis, Reg. Soc. Varsav. et Ienner. Lond. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. sexies per hebdom. h. X—XI exponet Pathologiam generalem et specialem, sua elementa secuturus; mensibus autem aestivis, diebus et horis posthac designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii generalis Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANVS, Med. et Chir. D., Status a Cons., ord. S. Annae II cl. et S. Vlad. IV cl. Eques, Caes. Acad. Scient. et Med. Chir. Petropolit., Reg. Scient. Acad. Svec., Soc. Nat. curios. Mosqu. aliisque soc. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1) diebus Lun., Mart., Iov. et Vener. ab horae II^dae^ dimid. ad III Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2) opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque, quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet. 3) Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. hora I—III habendis, protozoorum, polyporum, animalium radiatorum et molluscorum, vermium intestinorum et exterorum, insectorum, crustaceorum, arachnidum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

VENCESLAVS PELIKAN, Med. et Chir. D., Caesar. Med. Chir. Academiae Petropolit., itemque Caes. Societ. Med. Vilnensis Sodalis, Chirurgiae, Clinices chirurgicae et medicinae forensis Prof. P. O. sexies per hebdomadem, hora XI—XII., docebit eam Chirurgiae partem, quae ad vulnera, ossiumque fracturas et luxationes spectat. Deinde operationes chirurgicas in cadaveribus demonstrabit et tironum manum enchiresi chirurgo tam necessariae aptabit. Praeterea in nosocomio clinico chirurgico quotidie hora X matutina disciplinae suae alumnos, quomodo doctrinam studio comparatam ad usum accommodari oporteat, exemplis docebit.

Idem Lunae, Martis, Iovis et Ven. diebus hora VIII—IX Anatomiae humanae lectiones habebit, bis vero per hebdom. h. III—IV Medicinae forensis praecepta tradet.

NICOLAVS MIANOWSKI, Phil., Med. et Chir. D., Coll. a Consil., Caes. Soc. Med. Vilnensis, atque Reg. Soc. Philomath. Varsav. Sodalis, Artis Obstetriciae Prof. P. O., Ordinis Medicorum h. t. Decanus, quatuor primis mensibus sexies per hebdom. h. IX—X matut. virilis sexus discipulis universae artis obstetriciae praecepta tradet, et doctrinam de morbis quum mulierum, tum recens natorum, quantum ad artem obstetriciam attinet, exponet. A Kalendis autem Ianuariis anni proximi iisdem quidem discipulis per sex menses reliquos, sed tribus tantum diebus, iisdem horis, inchoatam doctrinam tradere perget. Feminis autem, obstetricum munere, in Imperio Rossico fungendi potestatem quaerentibus, item ter per hebdomadem, horis posthac designandis, Elementa in obstetricum usum curis suis Vilnae vulgata explicabit. Praeterea artis obstetriciae exercitationes in nosocomio academico, in utriusque sexus auditorum gratiam, rite moderabitur.

IOANNES WOLFGANG, Phil. D., Colleg. a Consil., Caes. Soc. Med. Vilnensis et Reg. Oeconom. Varsav. Sodalis, Pharmacologiae et Pharmaciae atque Chemiae polit. forensis Prof. P. O. sexies per hebdomadem, hora XI—XII priore semestri tradet doctrinam de medicamentis simplicibus s. Pharmacologiam. Altero vero, a Kalendis Martiis anni proximi quater per hebdom., iisdem horis, explicabit doctrinam de medicamentis compositis s. Pharmaciam, experimentis in Laboratorio pharmaceutico illustrandam atque firmandam; binis autem horis posthac designandis, scholas in Chemiam politico-forensem ad Elementa Remeri (*Lehrbuch der polizeilich-gerichtlichen Chemie. ed. II. Helmst. 1812. 8.*) habebit.

VINCENTIVS HERBERSKI, a Consil. aul., Med. D., Societ. Caes. Med. Vilnens., Medico-chir. Londinensi, Dublin., Parisiens., Montispessul., Wernerianae Edinburg., aliisque soc. litt. adscriptus, Vniversitatis Adjunctus, quotidie hora VIII—IX matut. in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque quater per hebdomadem hora IX—X, ad Iosephi Frankii Praecepta praxeos medicae eam Therapiae specialis partem, quae febres, morbos cutis, cerebri, sensuum, medullae spinalis, nervorum, tracheae, pulmonum, cordis, vasorumque sanguinis circulationi servientium, complectitur. Praeterea clinicis in nosocomio occupationibus vespertinis, hora V—VI, praeerit.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D., Caesar. Soc. Med. Vilnens. Sodalis, Vniversitat. Adjunctus, sexies per hebdom., hora X—XI. Physiologiam docebit. Universa de vita doctrina ad Andreae Sniadeckii V. Cl. Theoriam corporum organicorum strictim tradita, Physiologiam corporis humani uberius exponet, inque singulis functionibus accuratius tractandis rerum ordinem a Bichatio institutum, a Sprengelio autem, Lenhossekio, Ri-

cherando et Magendio perfectum, servabit; potiora tamen huius disciplinae principia ad Andr. Sniadeckii in laudato opere sententiam explicabit. Cuncta vero physiologiae hominis praecepta et animadversionibus, et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, confirmanda vel locupletanda, et observationibus, quas Anatomia comparata suppeditabit, passim illustranda curabit.

CONSTANTINVS PORCYANKO, Med. et Chir. D., Caes. Soc. Med. Vilnensis Sodalis, Vniversitatis Adiunctus, quater per hebdom., hora III—IV., docebit Therapiam generalem una cum Materia medica et arte formulas medicas praescribendi. Deinde in materia medica speciali, duce Heckero pertractanda, de iis corporibus naturalibus fusius disseret, quae in pharmacopoeis, tum Rossica, tum Castrensi Ruthenica, commendata reperiuntur.

Idem, iisdem horis bis per hebdom., tum fasciarum machinarumque chirurgicarum usum indicabit, tum repetitiones chirurgicas instituet, atque in nosocomio clinico chirurgico studiosorum occupationibus quotidie aderit.

ADAMVS BIELKIEWICZ, Medico-chirurgus, Caes. Soc. Med. Vilnensis Sodalis, Prosector Anatomiae, diebus Merc. et Saturni hora VIII—IX matut. repetitiones Anatomicas instituet; Martis vero, Mercurii, Veneris et Saturni diebus h. III—V studiosorum operam in dissectionum anatomicarum periculis faciendis moderabitur.

ADOLPHVS ABICHT, Med. D., Caes. Soc. Med. Vilnens. Sodalis, Professoris Clinices Medicae Adiutor, studiosorum in nosocomio clinico exercitationes propius inspiciet et diligenter inviset.

ADAMVS ADAMOWICZ et CAROLVS MVYSCHEL, Medicinae Magistri, duce medicinae veterinariae in hac Vniversitate Professore, quotidie horis posthac designandis, Artis veterinariae praecepta vernacula lingua tradent.

FORTVNATVS IVREWICZ, Philos. Cand., binis per hebdom. horis, Anatomes comparantis lectionum repetitionem polonica lingua habebit.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM.

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Iur. Vtr. D., a Consiliis Status, atque Iuris Romani, Ecclesiastici et Poenalis nec non linguae et Litteraturae Italicae P. O. P.

I. Scholas Iuris Ecclesiastici ita hoc anno, in gratiam praecipue laicorum aperiet, ut necessitatem inprimis, existentiam et fontes Revelationis firmissimis argumentis adstruat et quisnam legitimus et supremus eiusdem sit interpres et iudex ostendat; Ius deinde Ecclesiasticum publicum tradat, in quo de origine, natura, indole et subiecto potestatis Ecclesiasticae, de diversis Hierarchiae gradibus, de conciliis Oecumenicis et tandem de nexu Ecclesiae cum civitate disserat feria III et VI ab h. XI—XII.

II. Quater in hebdom. praemissis de Iustitia et Iure solidioribus principiis scientifica methodo, utpote discentium usibus magis accommodata, illam Iuris Romani partem, in qua de Iuribus Personarum agitur explanabit, eamque, quantum per tempus licebit, etiam afficiet, quae circa rerum divisionem modosque dominium earum acquirendi versatur.

III. Bis vero in hebdom. generalibus circa naturam tum civilis delicti tum poenae principiis expositis a) crimina ad classes revocare, duce Benthamo, conabitur: b) de rationibus sive physicis sive moralibus, quae civilem imputationem vel augent, vel minuunt vel perimunt aget; c) causas omnes temperandi vel remittendi poenas aperiet; d) de obligationibus quae ex delicto nascuntur ultimo loco dicturus.

IV. Tandem diebus Mercurii et Saturni ab h. IV—V Tironibus elementa linguae Italicae, provectioribus vero aut Italicae poeseos Elementa ducibus celeber. Gravina, Zannotti, et Gherardini, aut historiam Litteraturae Italicae ducibus Cl. Tiraboschi, Ginguéné et Sismondi enarrabit.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ, Phil. et Theol. D., Canonicus Cathedr. Vilnens. Theologiae Dogmaticae et Historiae Ecclesiasticae Prof. P. O., pertractatis nonnullis quae e prima parte theologiae dogmaticae restabant capitibus, secundam partem, qua doctrina de Deo Redemptore generis humani continetur, enarrabit Lun. Mart. et Merc. diebus h. VIII—IX matut.

Idem Iov. Ven. et Sat. diebus, hora eadem in Scholis Annalium Ecclesiasticorum Conciliorum a IV usque ad IX saeculum tradet historiam.

IOACHIMVS LELEWEL, Phil. D. Reg. Societ. Philomathicae Vars. et Soc. Petrop. amicorum patriae Litteraturae Sodalis, Historiae universalis et Statisticae generalis Prof. P. O. quotidie, hora V vespertina, praemissa fatorum studii historici, disciplinarum historiae studium adiuvantium, et Statisticae expositione, Historiam universalem enarrabit, antiquioris quidem aevi, regnorum in Oriente antiquissimorum res persecuturus, duce libro Dzieie starożytne Vilnae 1818 a se vulgato; in recentiorum temporum memoria fata novissima saeculi XVIII praeeunte Kochio in Histoire des traités de paix, copiosius et accuratius exponet. Praeterea Statisticam generalem tradet, regnorum Galliae et Britanniae maxime habita ratione.

IGNATIVS DANIŁOWICZ, Iur. Civ. Mag. Iuris Rossici

et Patrii tam civilis quam poenalis Prof. P. E. sexies per hebdom.. hora IX—X Ius criminale Imperii Rossici vernaculo explicabit sermone, haud praetermissurus quae de quolibet delicto in legibus patriis constituta sunt.

MICHAEL BOBROWSKI, Phil. et Theol. Magister, Can. Cath. Brestensis, Archaeologiae Academiae, quae Romae floret, atque linguarum orientalium societati Asiaticae Parisiensi adscriptus, Exegeseos S. Prof. P. E. sexies per hebdom. hora IX—X exegeticas lectiones ad dictata sua habebit, et primo quidem semestri absoluta Introductione speciali in divinos veteris Testamenti libros, vaticinia ex Prophetis maioribus et minoribus selecta interpretabitur, et eorum qui ss. librorum versione latina vulgata uti velint, studia in interpretando Psalmorum libro moderabitur: secundo semestri Hermeneuticam S. et Introductionem in quatuor Evangelia tradet atque in Evangelium divi Matthaei commentabitur.

Idem secundo semestri bis per hebdomadem diebus Lunae et Veneris hora VII matutina linguae Arabicae praecepta tradet, adhibita grammatica viri celeberrimi de Sacy, atque Locmanni fabulas et priora capita Al-Corani, duce Maraccio, enarrabit.

IOSEPHVS GOŁVCHOWSKI, Philosophiae Doctor, utriusque Iuris et disciplinarum administrandae Reipublicae Magister, Philosophiae P. P. E. sexies per hebdomadem hora III—IV pomerid. Anthropologiam, Logicam et Philosophiam moralem tradet, in qua Christianae praecipue Ethices rationem habebit.

PLATO SOSNOWSKI, Theol. Iurisque Ecclesiastici D., Martis Merc. Ven. et Satur. diebus, hora IV—V pomerid. officia hominis christiani erga alios homines, duce Pollaschekio enarrabit. Deinde de officiis eius hypotheticis in societate domestica, civili et religiosa, in vario etiam statu et loco vitaeque conditione disseret. Tandem universa virtutis christianae auxilia, eorumque usum legitimum docebit.

IGNATIVS ONACEWICZ, Phil. Mag. sexies per hebd. hora IX—X antemerid. Statisticam Imperii Rossici, et Diplomaticam docebit.

ALEXANDER KOROWICKI, I. V. Magister, Doctrinam Processus Civilis patrii, duce Martinio tradet bis per hebdomadem diebus et horis postea designandis.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATVRAE ET ARTIVM ELEGANTIORVM.

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK, Phil. D., Status a Consiliis, ord. S. Vladim. IV cl. Eques, Linguae et Litterar. Graecar. et Romanar. Prof. P. O. Litteraturae et AA. Eleg. ordinis h. t. Decanus, Lunae, Mart. Iovis et Ven. diebus h. X. mat. Homerica et selecta Pindari carmina enarrabit. Iisdem diebus h. II. pom. Persii Satiras et Ciceronis Orationes Philippicas interpretabitur. Bis autem Merc. et Sat. diebus hora X. secundam Historiae Graecorum *Litterariae* partem ad Initia sua hist. Gr. Litter. secundum edita, enarrabit; iisdem diebus hora II pom. Encyclopaediam Philologicam ad dictata sua tradet.

IOANNES RVSTEM, a Cons. Colleg., Picturae et Artis delineandi Prof. P. O., quotidie ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, provectiores autem in arte pingendi exercebit.

IOANNES ŁOBOYKO, Linguae et Litteraturae Rossicae Prof. P. O., Ord. S. Annae III cl. Eques, Petropolit. Soc. amicorum patriae Litteraturae Sodalis, quater per hebdom. Lun. Mart. Iovis et Ven. diebus, h. III—V; A) provectiorum in usum, 1) pulcherrima poëtarum et scriptorum loca philologice et aesthetice enarrabit, atque historiam Litteraturae Rossicae ad epitomen Greczii (Учебная книга Россійской Словесности) Petropoli 1819-21 IV tomis, exponet. 2) Auditorum in vertendis praestantissimis scriptoribus Polonicis in Rossicum sermonem conatus moderabitur. 3) Historiam Imperii Rossici, Scloetzero et Karamsino ducibus, tradet. 4) Linguam Slavicam docebit ad Ios. Dobrowscii Institutiones linguae Slavicae dialecti veteris. B) In tironum usum Grammaticam Rossicae linguae duce Reiffio tradet, eosque in vertendo ex Rossico in Polonicum sermonem exercebit.

IOANNES PINABEL, Colleg. a Consiliis, ord. S. Vladim. IV cl. Eques, Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum P. P. E., sexies per hebdom. hora III—IV., 1) linguae et prosodiae Gallo Francorum elementa tradet. 2) Litteraturae huius gentis historiam usque ad saeculi XIX initium enarrabit, una cum aestimatione celeberrimorum in vincta et soluta oratione scriptorum, ducibus Batteusio, Marmontel et Laharpio.

LEO BOROWSKI, Phil. Mag., Poëseos et Eloquentiae Prof. P. E., Poëseos et Eloquentiae theoriam tradet sexies per hebd. h. XI—XII. Ex antiquis artis oratoriae magistris Aristotelis maxime Rhetoricam excutiet, neque deerit iis qui in polonice scribendi exercitationes studiose operam dabunt.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, a Cons. Aul., Adiunctus Vnivers. diebus Martis, Iovis et Satur. ab hora XI—XII. Hebraei sermonis studiosis, Institutiones Grammaticas tradet, interpretabitur librum Numerorum et selecta Psalmorum carmina, atque Archaeologiae Biblicae potiora capita, duce Iahnio, exponet.

Idem diebus Lunae Merc. et Veneris hora XI ad XII docebit elementa linguae Graecae, Chrestomathiam Iacobsii V. Cl. Vilnae tertio recusam. Nigrinum Lucianeum, et primum Iliadis librum interpretaturus.

BENIAMIN HAVSTEIN, a Cons. Aul., Ord. Reg. Sax. civicis meritis dicati Eques, Vniv. Adjunctus, Lunae Merc. et Vener. diebus, hora I—II pomerid. Linguae Germanicae praecepta et historiam litterarum Germanicarum tradet.

Idem Mart., Iov. et Satur. diebus h. I. pom. Anglici sermonis elementa, una cum poëseos Anglicae historia, exponet.

IOANNES DAVID HOLLAND, Lun., Merc., et Vener. diebus, hora III-IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet, musicasque auditorum reget exercitationes.

CASIMIRVS IELSKI, Artium Magister, Vnivers. Adiunctus Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget sexies per hebdom. hora XI—XII.

STANISLAVS HRYNIEWICZ, Lunae, Iovis et Vener. diebus hora I pomer., Plauti fabulam Militem gloriosum, et Commentariorum Iulii Caesaris de bello Gallico libros, a loco, quo superiore anno substiterat, incipiens, vernacula lingua explicare perget; Martis autem die, eadem hora, discipulorum latine scribendi exercitationes moderabitur.

Artis chalcographicae studiosorum in variis generibus exercitationes quotidie, Solis et festis diebus exceptis, reget Fridericus Lehman Chalcographus.

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III—V Godofr. Ern. Groddeck St. a Cons. Bibliothecae Acad. Praefectus, et Adiutores, Casimirus Kontrym a Cons. Colleg. et Simon Felix Żukowski a Cons. Aul. Vniversitatis Adiuncti.

Apparatum machinarum formarumque technologicarum desiderantibus monstrabit Valerianus Gorski mensibus aestivis Solis et Iovis diebus ab h. II—VI pom.; hibernis ab eadem hora usque ad solis occasum.